

**Specimen chirurgicum de setaceo, ejus historia et usu medico ... /
eruditorum examini submittit Jacobus Dingemans Alberti ... die IV julii A.
MDCCCXXIX, hora V.**

Contributors

Alberti, Jacobus Dingemans.
Utrechtsche Academie.

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum [Utrecht] : Ex. offic. Joh. Altheer, Academiae typographi,
[1829]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yxeuh4fz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.


**wellcome
collection**


Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



58,039/B Supp









SPECIMEN CHIRURGICUM

DE

SETACEO.

STRENGTHEN YOURSELF

SET A GOAL

FOR THE FUTURE

AND YOU WILL

ACHIEVE IT

SET A GOAL

FOR THE FUTURE

AND YOU WILL

ACHIEVE IT

FOR THE FUTURE

AND YOU WILL

ACHIEVE IT

SPECIMEN CHIRURGICUM

DE

SETACEO,

EJUS HISTORIA ET USU MEDICO,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HERMANNO BOUMAN,

THEOL. DOCT. ET PROF.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBI-

LISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO - TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS DINGEMANS ALBERTI,

TILO-GELRUS

DIE IV JULII A. MDCCCXXIX, HORA V.

TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFIC. JOH. ALTHEER,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

SPRINGER CURATOR

D 2

SETACEO

PLA HISTORIA ET USU MINGO

1700

ANALYTIC SUMMO NUNIA

DE ACCURATATE RECTORIS MAGISTER

JEREMIANO BOMAN

1700

1700

LIBRARY



LIBRARY

INSTITUTE

LIBRARY

IN ACHEMIA LIBRO - TITULUS

DE AC LIBRIS CONSERVAT

RECTORIS RECTORIS

JACOBUS DINGEMAN'S ALBERTI

1700

DE AC LIBRIS CONSERVAT

LIBRARY

IN ACHEMIA LIBRO - TITULUS

DE AC LIBRIS CONSERVAT

P A R E N T I B U S,

C O G N A T I S,

P R A E C E P T O R I B U S,

F A U T O R I B U S

E T

A M I C I S

S.


THE UNIVERSITY OF

CHICAGO

LIBRARY

PAVILION

Very faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Nihil profecto in Medicina praeclarius, quam ubi arte peritus naturam fideli manu imitetur, et, non secus ac illa, simplici ratione insignes assequatur fines. Ita nobis occurrit adminiculum illud artis, quod simplicitate sua vix memorabile videatur, efficacissime autem naturam aberrantem ad normam reducat; quod aequè stimulum periculosum a viscere nobiliori derivat, ac benigne vim vitae in parte morbosa excitat; quod denique non minus partes sejunctas in hominis salutem conjungit, quam destruit ac separat quod nimium sit. Setaceum hisce omnibus respondet. Operae pretium ergo duxi, specimen quoddam inaugurale conscripturus, quo doctoralem in Medicina lauream peterem, suaden-

dente clar. Promotore S u e r m a n , disserere de utilissimo hoc chirurgiae auxilio. Eo autem lubentius hoc argumentum adgressus sum, quandoquidem plures memorabiles casus in clinico chirurgico hujus Academiae observare mihi licuit, qui omnino ad Setacei usum illustrandum conferre possunt.

Antea vero quam ad ipsam materiam pertractandam transeo, lubens arripio occasionem, qua vobis, Praeceptores aestumatissimi! qui hanc Academiam vestra eruditione ornatis, pro eregia vestra institutione atque etiam benevolentia, qua me semper cumulastis, gratum declarem animum. Hoc imprimis Tibi dico, Vir clar. Promotor exoptatissime! qui non tantum consiliis tuis in hac dissertatione concribenda me adjuvasti, verum etiam humanitate tua et familiari consuetudine me semper felicem reddidisti.



C A P U T I.

DE SETACEO, EJUS APPLICATIONE ET AGENDI RATIONE.



§. I.

Setaceum derivatur a *feta*, quia haec antiquis in usu erat, ut vulnera in suppuratione tenerentur. Aliis denominationibus dicitur *feto*, *setamen*, *laqueus*. Ab Arabibus *sectorium*, ab Hollerio aliisque *paracentesis* vocabatur. Belgis *een haarsnoer*, Gallis *un seton*, Germanis *ein Haarfeil* audit.

Sumitur autem vocabulum nostrum tum pro tracto corpore peregrino, sive ex lino, sive ex alia materia confecto; tum pro ipsa hac operatione

chirurgica; tum denique pro ulcere angusto et longo, duobus instructo orificiis, sub cute telam cellulosa, aliquando profundius, penetrante, hac operatione facto.

§. 2.

Secundum conditiones varias setaceum iis in corporis locis applicari potest, ubi cutis partibus subjacentibus, debita telae cellulosa quantitate, connectitur. Sic in nucha, in affectionibus capitis, oculorum, aurium morborum et chronicis; in parte anteriore colli, vel sub cartilaginis thyrioideae eminentia, in quibusdam laryngis morborum; in pectore inter duas costas, contra affectiones asthmaticas; in abdomine, in nonnullis ventriculi affectionibus; ad scrotum in hydrocele aliisque partium genitalium morborum; ad femur denique et in genu articulatione, ad plurima illarum partium, imprimis substantiae osseae, vitia, setaceum infigitur.

§. 3.

Quod ad applicandi methodum, haec triplici instrumento perficitur:

1°. Acu,

1°. Acu, a Boyero inventa.

2°. Cultro chirurgico, *bistourie* dicto.

3°. Acu triquetra, nomine *troisquart* cognita.

Prima maxime usitata et multo quoque commodior est cultro. Ultima vero methodus in operatione hydroceles instituitur.

Apparatus ergo, ad operationem instituendam necessarius, nostris temporibus multo simplicior et commodior est illo, a majoribus adhibito. Etenim hodieque ad hunc scopum perficiendum adhibentur sequentia:

1°. Acus illa, a Boyero proposita, cujus altera pars continet portionem lintei tenuem et longam, utroque latere unguento simplici inunctam, instrumento non latiore. Veteres autem, loco hujus lintei, funiculo e setis equinis, xylinis, sericis, calami olerini crassitiem fere adaequanti, aliquot spithamas longo, usi fuerant.

2°. Pulvilli, ex linteo carpto facti; panni lintei atque fascia stringens, huic scopo accommodata.

3°. Spongia et aqua tepida.

§. 4.

In applicatione setacei ea aegrotantis positio omnino erit optima, qua facillime operatio instituitur;

v. c. si setaceum nuchae apponendum judicemus, aegrotanti maxime conveniet collocatio in sella sedentaria.

In instituenda hac operatione, oportet, ut seorsum aut pone aegrotantem chirurgus se teneat, tali modo, quali omnium optime operationem perficit. Pollice nempe et digito indice cutem, ratione loci, in plicaturam perpendicularem aut horizontalem attollit, cujus partem superiorem adjuvatoris manui dextrae committit. Cute in plicaturam redacta et, quantum fieri potest, a partibus subjacentibus abducta, acum ita a latere dextro ad sinistrum et a parte superiore oblique inferiora versus, quam proxime ad basin, in cutis plicaturam infigit. Operatione hactenus profecta, quum apex instrumenti cutim penetrarit, chirurgus acum trajicit et funiculum solvit; quibus peractis, partem funiculi longiorem involutam in segmento linteo servat, atque vulnus secundum artem deligat. Duobus vel tribus post operationem diebus, secunda deligatio apponitur. Vulnere depurato, inungitur quaedam funiculi portio, ad utrumque latus, unguento simplici sive alio medicamine suppurationem promovente, ratione habita gradus irritationis aut suppurationis, quem producere lubet. Pars trajecta, pure adfecta et conspurcata, amovetur. Secundum rerum adjuncta, semel
aut

aut bis de die hoc iterandum, donec totius funi-
culi adplicatio locum habuerit, quando novum lin-
teum, priori conjunctum, eodem modo immitti de-
bet.

Setacei usu ad finem vergente, levis pressio in
ulceris extensionem suffecerit ad ejus sanationem
promovendam.

§. 5.

Perraro durante operatione symptomata quaedam
periculosa proferuntur. Pertinet enim haec opera-
tio ad simplicissimas. Veruntamen haemorrhagiae e
venae aut arteriae subcutaneae laesione suboriri
possunt; quae in plerisque casibus fomentationi-
bus frigidis, pressione, aliaque ratione satis facile
sistuntur.

Symptomata, aliquando post operationem obser-
vata, sunt dolor vehemens, inflammatio notabilis,
suppuratio languefaciens et excoriatio, quae materia
acri producitur. Ad quae a nonnullis referuntur
alia, uti caro luxurians, ariditas, callus, foetor et
ulcerum angustia.

In dolore vehementiore, adhibenda sunt medi-
camina sedantia, emollientia et, si haec sine ullo ef-
fectu sint adhibita, nil superest, nisi quod seta-

ceum amoveatur. In inflammatione vero notabili, cataplasmata emollientia; in suppuratione languefaciente, extus incitantia; quaedam conveniunt, intus vero confortantia; quae si eventum optatum non adferant, a setacei ulteriore applicatione, saltem pro tempore, erit desistendum. Contra excoriationem apposita sunt unguenta quaedam, uti e subcarbonate plumbi, aliave praeparata. In casu quo caro luxurians haud majoris est extensionis, magis prodesse suppurationi, quam quidem obesse videtur; in casu vero contrario, deprimenda erit nitrate argenti, vel simili remedio.

§. 6.

Setaceum, tanquam exutorium consideratum, irritatione sua in corpus organicum vivum, majorem activitatem vis vitalis humorumque affluxum producit. Hinc intumescencia, rubor, caloris ac sensilitatis incrementum, inflammatio, suppuratio et tandem, propter relationem inter telam cellulosa[m] et partes, quas constituit et connectit, revulsio atque evacuatio oriuntur.

Illam secretionem purulentam setaceo productam, quod ex observationibus hac in re institutis patet, non solum sanitatis latitudinem adaequatam, sed quoque communibus legibus, in organa secer-

nentia agentibus, obnoxiam esse cognoscimus. Hinc omnes causae ita in totum organismum actionem exerentes, ut sic secretiones et evacuationes naturales supprimantur, multum quoque valent in secretionem materiae purulentae, mediante setaceo, imminuenda. Quo magis contra organa secernentia in sua actione promoveantur eo magis quoque secretio per setaceum est activa.

Setaceum quoque minorem puris copiam producit, sed magis activum est et minus irritans vitam animale. Hinc melius convenire videtur in constitutionibus irritabilioribus nervosis aliisque, quam vesicatoria.


Quamdiu in setacei usu sit pergendum, haud a priori determinari licet et a conditionibus variis dependet. In omni autem casu, prudens erit ratio, non solum tamdiu in ejus adhibitione pergendi, quamdiu vel morbi, vel materiae morbificae praesentia hoc indicaverit, sed etiam post morbi curationem, nullo scilicet obstante impedimento, per aliquot tempus idem gestandi. Ex observationibus enim constat, si setacei non statim voto respondeat eventus, non festinanter illud esse auferendum, quoniam multis in casibus, mense, imo diutius, post illius adhibitionem, accidit, ut nulla percipiatur emendatio, quo vero tempore praeterlapso, eo citius ex voto procedere curationem videmus.

Haec sunt, quae de setaceo, ejus applicatione et agendi modo habeo. Ante quam jam ad morbos, in quibus indicatum est, transeo, non inutile fore censeo, capite speciali, historiam hujus remedii exponere.

—————~~—————~~—————

C A P U T II.

SETACEI HISTORIAM EXHI- BENS.



§. 7.

Quum antiquissima setacei historia in seculo-
rum oblivione lateat, difficile est determinatu, cui
ejus inventionem debeamus, aut quonam tempore
primum fuerit usitatum. Hoc vero constat, si ad
Hippocratis scripta, 460 annis ante Chris-
tum natum, respiciamus, hunc usum jam ei fuisse
cognitum (1).

Cla u-

(1) Hippocrates, libr. de fistulis Sect. VI. ubi legi-
tur: ,, Linum crudum, quam tenuissimum, quincuplex pal-
mi

Claudius Galenus, a loco natali Pergamenus dictus et 131 annis post Christum natus, primus fuisse videtur, qui setaceum in hydrocele, tanquam curam radicalem, commendaret et institueret. Filum nempe sericum in testis tunicam vaginalem, acus candentis ope, immisit; qua in cura, durantibus quadraginta diebus, perrexit, vulnus, albumine ovorum et oleo rosaceo, deligans. In hac operandi methodo dein omnes Galenum sunt secuti (2).

§. 8.

Successit hisce schola Arabica, quae dein omnem sibi Medicinam vindicaret. Hic ergo historia setacei nunc est quaerenda. Inter Arabes primum qui-

mi longitudine, in unum complicatum, seta equina circumvolvitur; tum stanneum specillum, extrema parte perforatum, ita comparatum, ut in id lini complicati caput inseratur, in fistulam demittitur, simulque sinistra manus index in sedem injicitur. Atque ubi specillum digitum contigerit, id extrema parte inflexum, unoque lini caput, quod per specillum trajectum est digito educitur, et specillum quidem iterum extrahitur. Lini vero capita bis terve connectuntur et, quod dependet ex lino, intortum in nodum alligatur.”

(2) Galeni, meth. medendi, L. 14. pag. 191.

quidem hanc operationem ab Avicenna, tam in fistula lacrymali (3), quam in fistula ani adhibitam fuisse, invenimus (4). Eodem fere tempore vixit Muhammed Ebn Secharjah Abu Bekr Arrasi, nomine Rhazis cognitus, qui, uti videtur, operandi methodum ad infigendum setaceum per incisionem adhibuit et huic nomen *sectorii* dedit (5). Hoc saltem verum est, Rhazi duas immittendi rationes fuisse distinctas, alteram per incisionem, per cauterisationem alteram. Interdum vero utramque conjunctim administravit, inter umbilicum et ossa clavicularia, contra asthma, phthisin et pleuritidem.

Tradit Severinus, Rulandum quemdam, Freind autem, Rhazem fuisse primum, qui setaceum nuchae apponeret (6). Porro quoque sub mento ac collo in distorsione oris (7), in odontalgia atque ophthalmia; in parte media aut molli

au-

(3) Avicennae, Can. L. III. f. 3. tr. 2. Cap. 15. pag. 225, 226.

(4) Ibid. L. III. f. 17. pag. 522.

(5) Conf. Marc. Aur. Severinus, de efficaci medicina, pag. 259. Rhazis, in L. de cauteriis, atque Joh. Freind, hist. med. pag. 27.

(6) Conf. van Onzenoort, *Operative Heelkunde*, 1e D. pag. 126.

(7) Severinus, in Rhazis libro, de cauteriis.

auris (8); contra affectionem asthmaticam in pectore inter duas costas; in hydrocele (9), ad funiculum spermaticum; super totum abdomen, ad hepatis, praecipue autem splenis et ventriculi, nec non aliorum viscerum affectiones debellandas; atque etiam in dorso, scapulis et supra os sacrum (10), denique ad collum, in curatione epilepsiae, setaceum infixum esse legimus (11).

Post Rhazem chirurgia quoque floruit sub Khalaf Ebn Abbas Abu'l Kasem, Zaherae in Hispania nato, vulgo nomine Albucasis cognito, qui diem supremum Cordovae anno 1122 obiit. Setaceo in multis quoque morbis usus fuit, sed non alio modo illud infixit, nisi per cauterisationem (12), cujus methodum posteriori quadringentis adhuc annis post secuti sunt (13).

Camansali, qui Bagdadi medicinae operam dabat, mentionem fecit, setaceum jam antea Arabibus, Chaldaeis, Judaeis et Indis fuisse cognitum.

(8) Freind, hist. med. pag. 27.

(9) Severini, l. l.

(10) F. Fieni, de cauteriis, pag. 138.

(11) Joachim, in 9 libr. Rhazis, Cap. 14.

(12) Albucasis, Chir. Vol. I. prol. p. 2, 4. ed. arab. et latin. 1782.

(13) Freind, hist. med. pag. 29.

tum. Ipse idem adhibuit in oculorum affectionibus, uti in cataracta et lunella (14).

§. 9.

Jam accedo ad superioris temporis scriptores, inter quos *Rolandum*, *Parmae* natum, setacei usus non latuit. Contra asthma sub epiglottide, atque etiam ad nimiam lacrymationem constringendam, per auris cartilagineum setaceum trajecit (15). In dolore spinae dorsalis primum in medio, alterum tribus digitis supra, tertium vero tribus digitis infra locum dolorificum adhibuit (16). In affectione lienis in hypochondrio sinistro, et in dolore testiculorum, sub ipsis testiculis in scroto setaceum applicavit (17).

Eadem fere periodo, sed paulo post, *Lanfrancus*, *Mediolanus*, *Galenum* in curando hydrocele secutus, setaceum in hac affectione incisioni praefererat, quum secundum ejus observationem,

ul-

(14) *Camanusali*, L. 6. Cap. 4, de oculorum affectionibus.

(15) *Rolandus*, chir. L. 1. Cap. 18. rubr. 2.

(16) *Conf. Glandorpii*, *Gazoph. Polypl.*, Cap. 24. pag. 149.

(17) *Ibid.*

ulcera maligna hujus ultimae methodi saepius essent sequelae (18). Porro etiam in odontalgia auri, et in dysuria pectori setaceum apposuit.

Non minus a Rogerio, Parmae nato, Professore Bononiae, adhibitum est setaceum contra fistulam ani (19). In affectione lienis, duo setacea in sinistro hypochondrio supra hoc organon unum ab altero semotum, applicavit. In dolore umbilici, tribus digitis sub umbilico, et in dolore lumborum, sub ipsis lumbis immissum fuit. In spinae affectione dolorosa tria adhibuit setacea, primum in spinae dorsalis medio, alterum tribus digitis supra, tertium vero tribus digitis infra vitium. Contra testiculorum dolorem, sub testiculis scrotum pertudit. In haemorrhoidibus, ani parti superiori et in surditate quoque auris medio setaceum infixit (20). Guilielmus a Saliceto, qui eodem fere tempore vixit, setaceum in fistula ani adhibuit (21).

Etiam Guy de Cauliaco, Gabalensis, qui in curanda hydrocele vestigia Galeni secutus est

(18) Conf. *dictionn. des sciences medicales*, T. 51. pag. 204.

(19) Rogerii, Chir. L. III. Cap. 48. fol. 375. D.

(20) Ibid. Cap. 17 et 52.

(21) In ejus Chir. L. II. C. 16. f. 128. C.

est (22), in vulnere profundo et occulto, nec minus in strumis exhauriendis ad cervicem setaceum traducendum curavit (23). — Franciscus Pedemontanus, regis Roberti Siciliae medicus, laudem praebuit setaceo in humero dislocato ex accumulatione humorum (24). — Gabr. Faloppia, 1490 natus, Pisae et Paduae Professor, in hydrocele setaceum adhibuit (25).

Perinde ac Rhazes, Johannes Arculaeus, Bononiae Professor, hanc operationem *Sectorium* appellavit, quo utebatur ad hydropem scroti tollendum, quod etiam in eadem affectione adhibuit Michaëlis Savanarola (26).

Eodem modo per cauterisationem instituit hanc operationem Ambrosius Pareus (27). In
hy-

(22) Guy de Cauliaco, Chir. magn. Tract. II. Doct. II. Cap. VII.

(23) Ibid Tr. III. Doct. I. Cap. II. pag. 141. et Tr. I. Doct. I. Cap. IV. Lugd. 1585. 4to.

(24) In ejus L. de aegritud. junct., Cap. 3.

(25) Falloppiae, L. de tumoribus praetern., Cap. 34. opp. Tom. II. p. 314.

(26) In ejus tract. 6. Cap. 14. rubr. 10.

(27) In ejus chir. L. X. pag. 379, ed. 5^e, Paris 1598, ubi ejus verba ita leguntur. „ Puis faut, qu'un serviteur „ tire et eslève en hault ledit cuir, ayant rasé le poil, s'il „ y en a; et alors le chirurgien pincera le plus profond

hydrocele setaceum incisioni anteponeendum esse existimabat, quo in casu agendi rationem sequebatur Galeni (28). Multum ei quoque setaceum auxilium praestitit in vulneribus sclopetariis, ut sic melius corpora peregrina evacuarentur (29). Similiter contra epilepsiam setaceum adhibuit (30); nec non ad chalazion (grandinem) curandum, filum setaceum loco immisit, quod in fronte vel

ge-
 ,, et près du poil qu'il pourra, le dit cuir, sans aucune-
 ,, ment toucher à aucun muscle du col, pour les accidens
 ,, qui en pourroient advenir, comme spasmes et autres
 ,, et serrera les tenailles (alors qu'il mettra le cautère ar-
 ,, dent) assez fort, et par ce moyen le patient ne sentira
 ,, l'action du feu. Car deux douleurs ensemble, faictes en
 ,, mesme partie et lieu, la plus grande fait que la plus
 ,, petite ne sent point ou peu.

,, L'Ouverture se doit faire en long et non en travers,
 ,, car par ce moyen l'évacuation des matières se fera
 ,, mieux, pour la rectitude de fibres. Le tenailles seront
 ,, percées au milieu pour passez le cautère au travers
 ,, lequels sera en son extrémité agu triangle ou quarré, à fin
 ,, que son action soit plus prompte. Puis soudain passe-
 ,, ras au travers desdites tenailles et cuir que tu auras
 ,, cauterisé une aiguille à seton, enfilée de fil de cot-
 ,, ton en trois ou quatre doubles, lequel sera imbu et
 ,, trempé dans albumen ovi et oleum rosatum."

(28) Ibid. L. VII. Cap. 17. pag. 245.

(29) — L. XI. Cap. 7. pag. 330.

(30) — L. IX. Cap. 24. et L. X. pag. 378.

genis firmabat (31); denique in proptosi et oculorum inflammationibus chronicis setaceum nuchae apposuit (32).

§. 10.

Ut transeam ad seculum decimum sextum, quo ars chirurgica, vestigia celeberr. Parei firmiter premens, magis magisque sese extollere coepit: primum nominandus est Jacobus Hollerius. Inter eos enim pertinet, qui hancce operandi methodum cauterisationis ope reprobarent, et hujus loco acum non candentem adhiberent (33). At vero Guilielmus Fabricius Hildanus, eodem seculo, duobus fere annis ante Hollerii mortem natus, se hujus operandi methodi fuisse restauratorem gloriatus est (34). An vero haecce operatio Hildano sit attribuenda, in dubium revocaverunt Leonardus Doldeus, nec minus Matthaeus Ludovicus Glandorpius, Breae medicinam exercens, qui se in-

ve-

(31) Cf. K. Sprengel's Geschichte der Chirurgie, 2^r Th. pag. 31.

(32) Parei, Chir. L. 17. Cap. 12. p. 598 et 599.

(33) Conf. Freund, Hist. med. p. 29.

(34) Hildani, Operum medico-chirurg. obs. 40. Cent. 1.

venisse scripsit apud Guillemeum, hunc modum absque cauterisatione a nonnullis Gallo-francicis chirurgis fuisse celebratum et, quantum colligere potuerit, hanc methodum fuisse adhibitam a Pigraeo, Pernumia, Ferrara et Holle-rio (35). Jacobo Guillemeo quoque applicationem setacei sine cauterisatione cognitam fuisse, patet e fistulae ani (36) atque hydroceles curatione (37), ipso hoc modo instituta. Neque minus Ludovicus Mercatus, qui sex annis post Guillemeum vixit, hanc enchiresin adhibuit et ad hydropem exhaustum scrotum perforavit (38). In tabe (39), ophthalmia (40) atque etiam capitis dolore (41) setaceum nuchae apponendum commendavit.

Quod

(35) Glandorpii Pol. gazoph. font. et setac. p. 131.

(36) Conf. K. Sprengel's Gesch. der Chir., 1^{re} th. pag. 349.

(37) Guillemeau, operations de chirurg. L. X. pag. 226.

(38) Mercati, L. IV. de curandis morbis Cap. 6.

(39) Mercati, Cap. IX. ubi legitur „ sed magis probo eidem parti (nuchae) setonem affigere, quo tutius et commodius malum imminuitur.”

(40) Ibid. L. 7. Cap. 22.

(41) Ibid. ubi leguntur verba „ si dolor capitis
„ sit

Quod ad morbos, in quibus modo laudatus Hildanus setaceum applicavit, sequentes enumerentur oportet. Scilicet adhibuit illud in contumacissimo capitis dolore, quem hocce modo curavit (42), in catarrho pulmonum (43), in hydrocele (44), in fluore albo (45); in peste quoque non sine fructu ipsum adhibuit (46), quod in affectione polyposa inveterata, tanquam derivans commendavit (47); phthisin pulmonalem setaceo nuchae applicato feliciter curatam testatur (48); in ophthalmia

„ sit ratione pericranii, tutius est setaceum, quam fontanelam aperire.”

(42) Hildani, operum medico-chirurg. Francofurti a. 1646. Cent 4 pag. 291 obs. VII.

(43) Hildani, Epist. 66. pag. 1009 et Cent. I. pag. 36, ubi legitur „ nihil praestantius setaceo in catarrhis et destillationibus ad pectus.”

(44) Ibid. Cent. 4. obs. 66. pag. 339.

(45) Ibid. Cap. 4. p. 298. obs. 19.

(46) Ibid. Cent. 6. obs. 92. pag. 624. ubi mentionem facit de peste Bernensi, ubi legitur: „ praesentissimum enim et longe securissimum praeservativum tempore pestis esse fonticulos et setacea, non solum Lausannae a. 1613. verum etiam superiori aestate hic observavi — quandoquidem ex omnibus, qui fonticulos et setacea habebant (quorum viginti sex mihi noti sunt) tres tantum obierunt etc.”

(47) Hild. Epist. 60. pag. 1005.

(48) Ibid. Cent. III. pag. 220. obs. 38.

mia post variolas acquisita (49), in fistula lacrymali, magnam praestantiam setaceo adscripsit (50), nec minus in visus imbecillitate (51), in inflammationibus oculorum (52), atque etiam in epilepsia (53).

Eodem saeculo etiam alii, uti Nicolaus Piso, a°. 1563 natus, setaceum adhibuerunt contra melancholiam, ex lienis vitio ortam, ubi illud ad hypochondrium sinistrum infixit (54); in angina contumacissima et in ophthalmia collum pertudit (55).

Thomas Fienus, in academia Lovaniensi professor, anno 1567, in umbilico, propter hydropem extumescenti, item in frigida et humida ventriculi intemperie, sub cartilagine ensiformi, duobus supra umbilicum digitis, setaceo cutim transfixit (56). — Ita quoque Daniël Sennertus, Wittebergae professor, setaceum contra hydropem adhibuit (57).

Si-

(49) Ibid. Cent. I. pag. 36 exempl. II, III. et IV.

(50) Ibid. Cent. IV. pag. 298. obs. 19. exempl. I. et II. et pag. 500 Cent. VI. obs. III.

(51) Epist. 59. p. 1004.

(52) Cent. III. pag. 202, 203, 204.

(53) Cent. I. pag. 36. exempl. I.

(54) Piso, opera ther. Cap. 1. L. 4.

(55) Ibid. Cap. II. L. 2. et L. 1. Cap. 26.

(56) T. Fieni, L. 4. de Canteris Cap. XI.

(57) Cf. Severini, L. 2. part. 1. p. 259.

Similiter Aurelius Severinus Tharsiensis, Neapoli anatomiae et chirurgiae professor, setaceo in curatione hydroceles atque bronchoceles usus est (58).

Neque diu post Riverius setaceo, per suras trajecto, passionem ischiadicam curavit (59). — Porro Johannes Scultetus, bono cum successu, operationem setacei in scroto instituit, ad hydropem universalem anasarcam curandam, ex febre intermittente acquisitam (60), quam etiam enchiresin in amaurosi, ex suppressa menstruatione exorta, adhibuit (61). — Idem remedium Horstius, qui eodem tempore vixit, adhibuit tamquam prophylacticum in apoplexia (62), et nuchae illud apposuit in hysteromania (63). — Quum Jacobus Dalechamp medicinae doctor Lugduni esset, setaceum in fistula ani administravit (64),
at-

(58) Ibid. L. 2. Cap. 14, pag. 81 et 259.

(59) Riveri, cent. 2. obs. 10.

(60) J. Sculteti, armament. chirurg. p. 944 ed. belg. ai. 1748.

(61) Ibid. pag. 423.

(62) Horstii, Ep. L. 2. Sect. 7. p. 483.

(63) Ibid. L. 2. de morbis capitis obs. 14.

(64) In ejus *Chir. Française*, pag. 80. Lyon 1573. 8°. Conf. Kurt. Sprengel's *Gesch. der Chir.* 1^{re} Th. p. 349.

atque Guido, qui magnam quoque laudem huic in hernia aquosa tribuit (65), in ophthalmia setaceum nuchae imposuit (66).

Neque minus Antonius Musa Brassavola, Ferrariae professor, bono cum eventu, in ophthalmia setaceum ad occiput trajecit (67). — Wepf idem commendat in defluxionibus ad oculos (68), in impetigine faciei et ophthalmia (69), in hemicrania (70), atque etiam in epilepsia (71). — Deinde in hydrocele illud adhibebat Petrus Francus (72). — J. van Meekeren, chirurgus Amstelodamensis, exhibuit quoque commodius simpliciusque instrumentum ad infigendum setaceum, quod ex acu, in apice incurvata, in utroque latere secante, constat (73). — Primus omnium Rodericus Fonseca in curandis capitis

af-

(65) Glandorpii, l. l. p. 147.

(66) Horstii, tract. 7. doct. 1. Cap. 3.

(67) Glandorpii, l. l.

(68) Conf. D. M. Alberti, Lexicon reale medicum obs. p. 60, 80, 180, 182.

(69) Ibid. p. 968.

(70) Ibid. p. 175.

(71) Ibid. p. 602, 605, 612.

(72) *Traité des hernies*, p. 39.

(73) In ejus *heel- en geneeskonstige aanmerkingen*, p. 166. Rott. 1728.

affectionibus, ex venerea lue productis, ad setacei usum confugit (74), quod ad pectoris aneurysma curandum scroto apposuit (75). — Similiter in cephalalgia bono cum successu, hancce operandi methodum instituit *Fred. Ruysch* (76). — *Laur. Heister* setaceum tanquam curam radicalem hydroceles enumerasse traditur (77). — *Felix Platerus*, Basiliae professor, hoc in mentis consternatione (78), et in imbecillitate visus nucae apposuit (79). — Etiam *David Burch. Mauchart*, Tubingae professor, non solum setaceum immisit collo ac aurium lobo, in gravissimis et rebellibus oculorum fluxionibus, sed in aliis quoque affectionibus, uti in dentium dolore, in pectoris affectione, in visus hebitudine, obnubilatione et coecitate (80).

Franc,

(74) *Fonsecae*, Tom. II. cons. 64.

(75) *Ibid.* cons. 60 ,, partium pectoris et pudendorum nobilis est consensus'' *Hipp. L. 2. epidem.*

(76) *Ruysch*, oper. omn. obs. 40.

(77) *In ejus instit. chir. T. 2. C. 22. § 9.*

(78) *Glandorprii*, p. 147.

(79) *Ibid.* p. 150.

(80) *In ejus dissert. medico-chir. de setacco etc. Tubing. 1742. Invenitur in disput. chir. ab Hallero collectis,*

Franc. Deckerus, praesente Smaltzio, omnium primus fuisse videtur, qui setaceum in hydrope ascitide adhibuit; funiculum scilicet laneum, acus ope dextrorsum et tribus digitis infra umbilicum immissum, circa musculi transversi abdominis marginem emittebat (81). — Joh. Girault setaceum contra ani fistulam quoque applicavit (82).

§. II.

Ut transeamus ad senioris temporis scriptores, non solum in his jam enumeratis morbis, verum etiam in empyemate, ut sic facilius materia purulenta evacuaretur et aëris atmosphaerici aditus averteretur, usitatum est setaceum, ab Hebenstreitio, Lipsiae professore (83). — In debellanda lipitudine (84) atque in nimio seri ad oculos affluxu setacei usum aliis derivantibus majorem opem prae-

(81) Deckers, exerc. pract. p. 208. et K. Sprengel, *Gesch. der Chir.* p. 747 2er Th.

(82) Girault, *quelques traités des opérations de chir.* Paris 1610. 4°. et K. Sprengel, T. I. p. 349.

(83) Cf. *Dict. des Sciences médicales* voce *setacei*.

(84) In ejus instit. chirurg. Lipsiae, ed. a°. 1764. p. 176. §. 528.

praestare, observavit (85) Christ. Gottlieb Ludwig, ibidem loci medicinam docens. — Inter nostrates nominandus venit prae omnibus aliis Petrus Camper. Ab hoc viro, in omnibus Medicinae partibus illustri, de arte chirurgica meritissimo, contra staphyloma setaceum quoque cavitati oculi anteriori (86), et ad curandam crustam lacteam infantum nuchae infixum est (87). — Inter extraneos Percival Pott (88) atque Joseph. Warner, chirurgi Londinenses (89), Petrus Dionis (90) et Ambrosius Bertrandi (91) setaceum in hydrocele adhibuerunt. — Idem Georgius Josephus Beer, Viennae oculista, in hydrophthalia administravit (92). — Etiam Cl. Pouteau
med.

(85) Ibid. pag. 273 §. 790.

(86) P. Camper, in *hist. de la soc. roy. de med. année 1784.* — *Mémoires de l'acad.* p. 46 — in *Samml. auserl. Abh. für prakt. Aerzte* B. 16. n°. 3. S. 460. — K. Sprengel's, *Gesch. der Chirurg.*, 2^{er} Th. p. 110.

(87) *Prix de l'acad. de chirur.* T. 4. Part. II. p. 853.

(88) In ejus *chir. Werke*, B. I. S. 440-500.

(89) *Account of the testicles*, Lond. 1774. 8°.

(90) Dionis, *cours d'operations de chir.* p. 306.

(91) *Mémoires de l'acad. de chirurgie*, Vol. III. p. 84.

(92) Conf. Loder's *Journal* S. 418. f. und *Lehre v. d. Augenkrr. a. a. o.* S. 607. f.

med. et chirurg. Lugduni professor, in fistula lacrymali adhibuit (93). — Secundum Andream Tomaium, ad tonsillas strangulatas praevertendas a Medicis Hispanis setaceo cervicem transfixam, constat. — Sic quoque Johan. Fragosus chirurgus Regis Hispanici, contra tineam capitis, bono cum effectu setaceum applicavit. — Samuelem Sharp setaceum ad dilatandam urethram coarctatam, post praegressam inflammationem, lue venerea aliave causa productam, in usum habuisse patet (94). Olaus Acrel unâ cum panni atque pterygii operatione, setaceum nuchae apponendum commendavit. — In corotomia laudem suam praestat secundum Georg. Heuerman. Sic quoque valde commendatum a Benjamino Gooch, Shatishami medicinae et chirurgiae doctore, praegrediente exstirpatione oculi, carcinomate affecti (95). — Nec non Abrahamus Titsingh, chi-

(93) In ejus *mélanges de chirurgie*, p. 92, *nouvelle manière d'employer le seton pour le traitement des voies lacrymales.*

(94) In ejus *oordeelkundige aanmerkingen over de heilkunde*, Amst. 1761.

(95) *Cases and practical remarks in Surgery*, Norwich 1767. Vol. II. p. 273, 279. Conf. K. Sprengel's *Geschichte der Chir.* p. 86.

chirurgus Amstelodamensis, setaceum contra amblyopiam nuchae apposuit, qua affectione se laborasse et simili modo curatum esse, dixit (96). — Non minus in hydrophthalmia a Cl. Richtero in academia Göttingana laudatum est, idemque a doct. Ford in hacce affectione adhibitum, quem in finem sex in oculum misit fila, aqua vegeto-minerali Goulardi humectata (97). — In curanda hydrocele, setaceo quoque J. Howard (98), R. B. Sabatier (99) atque Josephus Flajani usi sunt (100). — Le Dran chirurgus Parisiensis, post extirpationem polypi narium, has cavitates setaceo transfixit (101). — Setaceum quoque a Benjamine Bell prope vulnera, extirpatione mammaram carcinomate affectarum suborta, atque etiam in nonnullis tumoribus genu articulationis applicatum est

(96) In ejus *rustuuren besteed tot opbouw der loflijke Heelkonst*, p. 593-599. Amst, 1784.

(97) In ejus *medical communications*, Vol. I.

(98) J. Howard, *obs. on the method of curing the hydrocele*, Lond. 1785. 8°.

(99) Conf. *Mémoires de l'acad. de chir.* Vol. 5. p. 670-728.

(100) In ejus *Collez, di osservazz e rifless. di chir.* Vol. II. p. 166.

(101) Le Dran, *traité d'observations*, T. I.

est (102). — In lupiis valde extensis et cum partibus vicinis concretis Chopart unum vel duo setacea, paralleliter vel in crucis formam infixit (103). — Postea vero quoque G. P. de la Martinière setaceum per vulnera sclopetaria transegit, ad promovendam corporum peregrinorum evacuationem. (104). — Eodem modo etiam P. Foubert et Ruffel cariem sinus maxillae superioris curarunt (105), atque etiam haud sine fructu in fistula lacrymali setaceum adhibuerunt (106).

§ 12.

Etiam nunc setaceum ab omnibus arte peritis remedium externum habetur efficacissimum, ita ut ad plures morbos tum internos, tum externos maximopere laudetur, imo varia ratione modificetur et sic ad casus magis compositos aptum reddatur; cujus generis est, ut rem exemplo illustrem,

(102) van Onzenoort, *oper. heelk.* I^c. Deel p. 126.

(103) Cf. *Prix de l'acad. de chir.* T. 4. Part. 1. p. 307.

(104) Ibid. T. 4. pag. 13.

(105) Ibid. p. 369.

(106) Ibid. 371.

trem, operatio ad curandos polypos in antro Highmori crescentes, a Cl. Weinhold commendata (107). Clar. Quadri Neapoli setaceo usus est in strumae curatione, in ea scilicet specie, quae lymphatica audit. Perdifficile setaceo in glandula thyreoidea desorganisata producitur inflammatio, monente viro clar., ita ut frustula radicis hellebori nigri simul cum setaceo in fistula, per glandulam trajecta, immisisset (108). Hutchinson etiam in hoc morbo inveterato (etenim vitium jam per tredecim annos duraverat), nostram operationem adhibuit (109). Doct. Physick, inter Americanos artem factitans, ad redintegrationem ossium fractorum, quae deficiente vi naturae nondum conjungebantur, setaceum vehementer laudavit et exemplis sanationum felicium comprobavit. Hujus methodi inventionem alii chirurgis Franco-gallis, alii Americanis tribuunt. Clar. Boyer et Roux expectt. Percy inventorem appellant, qui tamen, ut videtur, setaceum non adhibuit scopo ossa fracta redin-

(107) *Metamorphosen der Highmorshöhle.*

(108) Jungken, *Bemerkungen auf einer Reise über Wien und Munchen nach Italien im Jahre 1818.* in Gräfe und Walther, *Journal der Chir. und Augen-Heilk.* T. 2. p. 303. 1803.

(109) In eod. diario, T. 6. p. 367.

dintegrandi, verum potius, ut eo facilius redderetur separatio fragmenti ossei jam emortui. Doct. Physick contra setaceum inter duo ossis fracti fragmenta transmisit, ut in iis inflammationem et calli productionem excitaret (110).

In commentatione de Hydrocele, a doctore Heyfelder cum publico communicata, setaceum a Clar. Dupuitren in hydrocele sananda esse reprobatum, tanquam remedium dolorificum et incertum, legimus (111).

Suf-

(110) Von dem Busch, *Heilung von unvereinigt gebliebenen Knochenbrüchen durch das Haarseil*, in diario laudato T. 7. p. 335. Egregia sunt quae de hac curandi methodo leguntur apud Adolphum Leopoldum Richter in ejus *Handbuch der Lehre von den Brüchen und Verrenkungen der Knochen*, Berlin 1828. p. 138, ubi jam Winslow honorem inventionis tribuit et multos hodiernos enumeravit, qui etiam hac methodo utebantur. „Winslow (scripsit) empfahl diese Behandlungsweise zuerst, später wurde sie, nachdem Physick dieselbe wieder eingeführt hatte, von mehreren Aerzten, als von Percy, Laroche, Philipp. in Philadelphia, Wardrop, Ducachet, Stansfield, Ch. Bell, Brodie, Mott, Ker, Thaxter, Rigal, Delpech, Weinhold, Earle, Meeker, Hutchinson und Zang grösstentheils mit glücklichem Erfolge angewandt; nur Wardrop und Hutchinson erreichten das Ziel nicht.“

(111) *Ueber die Hydrocele*, in diar. cit. T. 8. p. 283. Berlin 1825.


Sufficiant haec : etenim immensum scriptorum hodiernorum numerum pervolvere deberem , si omnes casus colligere vellem , in quibus setaceum laudatum est ; id quod etiam magis ad caput sequens pertinet , quo plures morbos , in quibus setaceum etiam nostro tempore adhibetur , exponere in animo est. Probatur autem , ni fallor , jam satis superque , partim modo veram esse opinionem Clar. Richerand dicentis : „ si les anciens abusoient du séton , les modernes en ont peut-être trop restreint l'usage , et dût-on accuser les médecins d'imiter en ce genre les vétérinaires , il est une foule de cas où ce moyen pourroit être employé avec avantage. ” (112)

(112) Nosogr. et Therapeutique chirurgicales , T. 3. p. 44.



C A P U T III.

DE SETACEI USU AD PLURES HO- MINUM MORBOS CURANDOS.



§. 13.

Accedo jam ad ultimam pensi nostri partem, scilicet ad exponendam setacei applicationem in variis morbis. Quam, quo melius procedam, ita tractabo ut:

1°. considerem casus, in quibus setaceum scopo derivandi aut contrastimulum producendi agit.

2°. exponam morbos, in quibus inflammationem localem adfert, ut plurimum plasticam seu adhaesivam; quibus

3°. ad-

3°. Addam disquisitionem morborum, ubi destruendo vitium tollit.

§. 14.

Quoad primum: derivandi scopo setaceum mag-
nae utilitatis est in mania, imprimis in illis specie-
bus, in quibus morbus secretiones suppressas aut
exanthemata quaedam retropulsa sequebatur. Ca-
sum huc spectantem memorabilem refert Esqui-
rol de viro juvene quodam, durante aliquo tem-
pore ulcerosa genae sinistrae affectione laborante,
qui vero post hujus vitii sanationem subito mania
corripiebatur. Hoc in casu, setaceo nuchae appo-
sito, brevi temporis intervallo ab hoc morbo libe-
ratus est (113). Eodem fere recidit casus, quo
Ferriar virum quemdam, 48 annos natum, tem-
peramenti melancholici, curaret ope setacei nuchae
appositi, cujus vero maniae species exorta fuit ex
exanthemate cutaneo suppresso. Porro adhibitum
est in idiotismo, qui sequela erat extravasatio-
num serosarum, in cerebro collectarum. Hujus rei
ab

(113) Esquirol's, *allgemeine und specielle Pathologie und Therapie der Seelenstörungen* in linguam germ. transl. a Dr. Karl Christ. Hille, Lipsiae 1827. p. 465-466.

ab Haasio communicatur historia viri cujusdam plagis cranio inflictis, hoc morbo laborantis, summoque gradu affecti. Quamvis murias protoxydi hydrargyri, camphora, flores arnicae montanae, pediluvia atque vesicantia adhibita magnum attulissent auxilium, aegrotanti tamen nullatenus restituebatur sanitas, ita non nisi post setaceum nuchae applicatum brevi curatio absolveretur. Quo tamen immaturius, quam par esset, sublato, in eundem rursus morbum incidit, qui statim post immissum eodem loco setaceum totus et penitus evanuit, ita ut pristinam recuperaret sanitatem (114).

Similis casus legitur de puero dispositionis melancholicae, qui sine ulla causa evidente in maniam inciderat mense Januarii. Jam varia remedia, ut emetica, valeriana, aliaque fuerant adhibita sine ullo fructu, uti etiam vesicatoria, ad nucham et suras applicata; mense Februarii post graviolem praegressam melancholicam mentis affectionem, qua meticulosus erat et silens cum lacrymatione et mentis depressione, subito in conditionem prorsus contrariam incidit, et quidem in maniam furiosam. Nunc applicatum fuit vesicatorium
ad

(114) P. Joseph Schneider's *Entwurf zu einer Heilmittellehre gegen psychische Krankheiten* etc. p. 115-116. Tubingae 1824.

ad caput, quo omnia symptomata in pejus mutabantur, ita ut vestimento maniacis plerumque destinato coërceri deberet. Post temporariam morbi imminutionem mense Martii sanguinis evacuatio fuit instituta unciarum sex. Sanguis crusta biliosa erat tecta, ejusque serum coloris flavi. Post hanc venae sectionem magis minusve mentis erat constans; sed una tantum hora elapsa, pristina rediit conditio. Sequenti die 28 Martii setaceum fuit applicatum inter scapulas secundum spinae dorsi directionem; insuper balnea crurum commendabantur, cum diaeta antiphlogistica. Die 2 vero Aprilis setaceum largam quantitatem puris evacuare coepit, cum doloris capitis levamine et meliore mentis conditione. Tempore insequenti, haec conditio magis etiam fuit emendata, sic tamen ut intervalla lucida arctam relationem haberent cum quantitate puris, setacei ope evacuati. Insuper ratio habebatur excretionis alvi et regimen vitae debitum fuit praescriptum, cum eo effectum, ut setaceum, quod per omne illud tempus gestaverat, mense Junii tolli posset, dum a mentis affectione prorsus erat sanatus (115).

§. 15.

(115) William Perfect. m. d. *annals of insanity* etc, case 52. p. 251.

§. 15.

Inter morbos, qui ex systematis nervosi re-
 actione abnormali proveniunt et in quibus seta-
 ceum magni esse debet usus, pertinet omnino, ut
 mihi videtur, Epilepsia. Hic igitur morbus perti-
 nacissimus, gravissimus, inter nostrates eheu! etiam
 adeo frequens, sit exemplo de utilitate, quam se-
 tacea in ejusmodi malis adferunt. Imprimis iis in
 Epilepsiae conditionibus convenit setaceo uti, in
 quibus, monente Richter o, tum durante
 paroxysmo, tum extra eum sensibilitas et agilitas
 nervorum, magna vehementia sese ostendunt,
 spasmi valde notabiles sunt, stadium vero soporo-
 sum non diu durat. Imprimis quando ventriculus
 et reliqua viscera abdominalia antiepileptica non fe-
 runt. Etiam ubi epilepsia manifeste post exanthe-
 mata retropulsa, haemorrhoides, arthritidem,
 rheumatismum, sudores topicos, ulcera subito
 sanata, verbo post suppressas secretiones et ex-
 cretiones, tum naturales, tum morbosas originem
 habuit. Denique si ad locum quemdam determina-
 tum sentiuntur aut observantur symptomata prae-
 cursoria. In omnibus hinc casibus setacea agunt
 partim veluti contrastimuli, qui oscillationibus
 morborum systematis nervosi aliam tribuunt directio-
 nem,

nem, idque versus corporis peripheriam, partim vero materiam morbosam, cerebro et nervis nocivam, detrahendo et derivando (116).

Quae Richter us de nostro remedio profert, experientia confirmat tum pristini, tum nostri temporis. Praeclara est observatio hac de re, breviter at dilucide cum publico olim jam communicata ab Hildano, dum scripsit. „Juvenem Lausannae, quindecim annos natum, curandum habui, qui singulis fere diebus, semel ad minimum accessionem epilepticam patiebatur, cuique ob id multa, sed frustra praescripta, adhibebantur remedia. Ego, purgato corpore pilulis aureis et cochiiis, institutoque regimine optimo, setaceum ipsi adhibui. Hinc accessiones remiserunt, et paullatim ab epilepsia liberatus fuit.” (117) Similem casum retulit nuper Clarkius, qui etiam in epilepsia setaceum felicissimo effectum adhibuit. Scilicet infans trium annorum, post inoculationem variolarum, quas pulchre perpessa erat, afficiebatur tumore inflammatorio in cavo axillari. Hunc suppuratione sanatum sequebatur epilepsia,

cu-

(116) Richter, Die specielle Therapie, T. 7. p. 107.

(117) G. F. Hildani, observ. chirurg. cent. 1. observ. 41. 1.

cujus paroxysmi quovis die decimo vel duodecimo, dein omni die quinto, denique ter de die redibant. Applicavit Clarkius setaceum dorso, ab omni alio medicamine abstinens, quo melius de setacei usu judicare posset. Eventus spem non fefellit. Post duos menses infans solo hoc remedio ab epilepsia erat liberata (118).

Etiam in hujus academiae nosocomio cl. Promotor non sine fructu setaceum in epilepsia nuper adhibuit; effectus salutaris autem non nisi temporarius erat. Antea jam hicce puer D. L., nunc 15 annos natus, etiam cum levamine artemisia vulgari utebatur, sed hocce remedio a morbo suo non liberabatur, modo ejus conditio melior reddebatur et redibant mentis vires, quae antea decreverant. Casum de artemisia vulgari, apud hunc puerum adhibita, observavit et cum publico communicavit Doct. van der Pant (119). Postea epilepsia sensim sensimque redibat, decreverunt iterum mentis facultates et miser puer denuo fere quotidie paroxysmos epilepticos patiebatur. Morbus originem sumebat ab eo inde tempore, quo
puer

(118) Conf. *Abhandlungen für pract. Aerzte*, T. VII. p. 201.

(119) Dissert. inaug. de artemisia vulgari, Traj. ad Rhenum 1826. p. 68.

puer terrore afficiebatur, cum in aquam incidere-
ret; sed jam a matre accipiebatur, eum ante hunc
eventum diu tinea capitis laborasse, quae retropul-
sa erat. Hucusque de hac affectione nunquam
mentionem fecerat, licet de morbis, quos priori
vitae periodo patiebatur filius, saepius interrogata
esset. Sed, ut haud raro accidit apud ejusmodi
homines, oblita erat hujus accidentis, donec alii id ei
in memoriam revocavissent. Erat omnino indica-
tum in hoc morbo setaceum adhibere. Res pro-
posita peragebatur, in initio felici eventu. Pa-
roxysmi, qui quavis septimana redibant, semel
quovis mense sese offerebant, et puer in genere
meliolem recuperavit aspectum. Hic autem fe-
lix eventus, ut modo monui, temporarius fuit.
Per quatuor menses setaceum strenue applicatum
est; sed redibant accessiones, eadem vi atque fre-
quentia, qua antea, quapropter, etiam ob difficul-
tates plures in adhibendo hoc remedio, ab eo de-
sistebatur.

Aliquomodo huc pertinet historia morbi, quem
nunc in nosocomio observo, feminae cujusdam, gra-
vissima et periculosa ambustione ad ambo crura
laborante, quam in paroxysmo epileptico accepe-
rat, quapropter in clinico chirurgico recipiebatur.
Cum haec ambustio magnam crurum partem occu-
paret, gravissima inde orta est suppuratio, qua
du-

durante, epilepsia, quae antea omni die decimo vel duodecimo redibat, silebat per duos menses. At vero, suppuratione sensim sensimque imminuta, apparuerunt denuo accessiones epilepticae, quamvis leviores, minusque frequentes. Ei etiam, ex cl. Promotoris proposito, setaceum applicabitur.

Non perinde est, ex Richteris opinione, ubi setaceum in epilepsia immittatur. Quodsi symptomata praecursoria in quadam corporis parte sentiuntur, ille locus eligendus erit. Etiam magna in iis excitanda est suppuratio. Vesicantibus in epilepsia acuta, setaceo in chronica utendum esse scribit Richter, qui hisce verbis confirmat, in quanto honore hanc methodum habeat: „ Es ist sehr erfreulich, dass man in neueren Zeiten, auf diese wichtigen Mittel wieder angefangen hat ein grosses Vertrauen zu setzen ” (120).

§. 16.

A praecedenti morbo non prorsus alienae, quod ad applicationem setacei, mihi visae sunt Neuralgiae, quas inter Prosopalgia Fothergillii ex omnium consensu principatum tenet. Quae de usu nostri remedii in morbis nervosis monui, etiam

etiam valent de ejus adhibitione in neuralgiis. Hoc re vera ab experientia esse confirmatum, sequens docebit historia.

Vir 47 annos natus, constitutionis robustae, operarius, qui ratione victum quaerendi multis aëris injuriis erat expositus et insuper ob res angustas insalubri plerumque utebatur nutrimento, jam ante duodecim annos dolores perceperat, musculos faciei occupantes, quos vero frigori suscepto adscripsit. Identidem rediit hic dolor, imprimis mense Augusti vel Septembris, et sensim ita increvit, ut anno 1824. auxilium medicum vocare cogeretur. Itaque se contulit ad chirurgum quendam, qui affectionem hanc pro gravi odontalgia salutans, tres dentes molares illi extraxit, sine ulla, ut sponte intelligitur, doloris imminutione. Domum ergo reversus, per tres annos tantummodo remediis domesticis morbum mitigare studuit. Mense vero Septembris anni 1827. morbus ea rediit vehementia, ut doloribus gravissimis excruciatu Cl. Promotoris curam imploraret, qui miserum die sexto Octobris ejusdem anni in nosocomium recepit.

Nunc autem sequentia symptomata observabantur. Habitus externus stupidus et maniaco, non absimilis; omni quadrante hora plus minusve morbi accessu corripiebatur, tum vero muscoli faciei, im-

pri-

primis in latere dextro, convulsionibus afficiebantur; ita facies mirum in modum contorta erat et maxilla inferior motum lateralem, quasi sub manducatione, exercebat. Dolor describebatur ab aegro tanquam incipiens ex parte superiore; dein descendens, per omnem faciem se extendebat; imprimis sentiebatur, ubi nervi faciales ex pede anserino proveniunt. Ceterum quod ad functiones naturales, satis bene se habebat, appetitus vigebat, quamvis, etiam sub levissimo motu manducationis, paroxysmus reverteretur et ciborum assumptio difficilis redderetur. Alvus semel de die solvebatur; pulsus erat naturalis.

Quum ex symptomatibus satis superque esset evidens, hunc miserum gravissimo morbo convulsivo faciei laborare, (cujus causas bene eruere non licuit, propter hominis imbecillitatem, fractis viribus, tum mentis tum corporis), efficax derivatio erat indicata, saltem ut aegro levamen afferretur in gravi dolore, quo excruciabatur. Simul, quum probabilis causa, ex vitae genere et pluribus rerum adjunctis deducenda, in retropulsa affectione rheumatica quaerenda videretur, antirheumatica quaedam remedia erant adhibenda. Idcirco setaceum applicabatur nuchae, atque in gravi suppuratione tenebatur, eo effectum, ut brevi imminuerentur dolores. Etiam praescribebantur pilulae ex resina
gua-

guajaci, extracto aconiti et sapone medicinali, quarum usus dein omittebatur, cum pateret, setaceum in hoc casu magnam habere efficaciam. Pergebatur ergo in hoc remedio adhibendo strenue, assiduo, ita ut inde quotidie magna orirentur irritatio et suppuratio. Eventus erat felicissimus. Post aliquot septimanas e nosocomio dimittebatur, cum ejus conditio longe melior esset. Mense Januario anni sequentis, a morbo penitus liberatus, grates referendi causa denuo ad nos accessit. Habitus externus sanitatem recuperatam ostendebat; etiam mentis facultates bene redierant et tali etiam nunc fruitur conditione, quali per plures annos non fuerat gavisus.

Eadem ratione in reliquis capitis et faciei morbis, setaceum scopo derivandi utiliter adhiberi potest, inprimis in ophthalmitide et aliis oculorum morbis; cujus rei multa inveniuntur apud artis peritos exempla, antea breviter jam exposita. Nuperrime egregium nostri remedii effectum observavi in femina quadam, 38 annos nata, cachectica, constitutionis debilis, gravi ophthalmitide laboranti, quae antea plus semel sanata, perpetuo redibat, ita ut plus semel hanc ob causam nosocomium adiret. Ab acritate ad oculos transposita hic morbus originem habuit, in cujus decursu id peculiare erat, quod omni tempore meridiano, aegra talem

talem pateretur imbecillitatem, ut fere nullum objectum visu distinguere posset.

§. 17.

Non minus setaceum magnam habere potest efficaciam in morbis pectoris, inprimis organorum respirationi destinatorum. In phthisi pulmonali commendatum est a Pringlio et Brendelio. Doct. Simons, licet parcus setacei in his morbis laudator, de eo monuit, interdum aegrotis magnam praebere utilitatem, si setaceum in vicinitate loci in pulmone affecti applicetur, quia inde orta materiae excretio adeo est notabilis, et in hoc morbo, ea pars pulmonis inflammatione correpta Ipse in pluribus casibus optatum successum se observasse testatur (121).

In phthisi laryngea in parte colli anteriore, sub cartilaginis thyreoideae eminentia, illud infigitur (122). Nec non in phthisi tracheali, cujus symptomata nondum attigerunt illum gradum, qui in confirmata observatur, ut sic non solum irri-
ta-

(121) *Praktische Bemerkungen über die Behandlung der Lungensucht, im Sammlung auserl. Abh. T. VI. pag. 38.*

(122) *Dictionn. des sciences médicales, Tom. 27. pag. 264.*

tationes locales imminuantur, sed etiam revulsio ab organo morboſo producat (123). In pleuriti-
de, peripneumonia inprimis chronica, in hydrope
pericardii ſetaceum, monentibus Percy et Lau-
rent bono cum ſucceſſu applicatum eſt; ſed
irritatio inde nata ſaepe medicos cogit ejus appli-
cationem ſupprimere et confugere ad exutoria mi-
nus activa (124).

§. 18.

Ne per plures caſus divagando longus ſim,
liceat mihi, quod ad morbos viſcerum abdomina-
lium, in quibus ſetaceum ſcopo derivandi cum
utilitate adhibetur, mentionem facere de uno tan-
tum caſu, a clar Richerando memorato.

Hic enim vir curandam habuit viduam, aetatis
mediae, jam 10 annis ventriculi inflammatione
chronica laborantem, in qua affectione tam pru-
dens vitae regimen, quam varia remedia fruſtra
fue-

(123) Ibid. Tom. 42. pag. 183. ubi haec leguntur verba:
„ l'usage d'un ſeton, dont on entretiendrait la ſuppura-
tion plus ou moins longtems, ne pourrait etre, que
tres avantageux dans le cas où les accidens ſe mon-
treraient plus opiniâtres. ”

(124) Ibid. Tom. 51. pag. 205.

fuerant tentata. Setaceo vero ad regionem epigastricam appposito, febris suboriebatur, propter aegrotantis constitutionem irritabilem, quae tamen paulo post sistebat. Morbus de tempore in tempus imminuebatur, usque dum pristinae sanitatis reditus exoriretur. In quo casu illud adhibitum fuit durantibus octo mensibus (125).

§. 19.

Denique scopo derivandi setacea cum fructu adhibita sunt in variis articulationum morbis. In vicinitate loci affecti applicata, egregii sunt usus ad derivandum stimulum morbosum, articulum corripientem, imo haud raro subitissime doloris magnum afferunt solatium.

Hujus generis exempla memoratu digna inveniuntur apud Brodie, qui setaceum in ulceratione cartilaginis articulationis femoris applicavit. Sequenti autem ratione ei in mentem occurrebat hanc instituere curandi methodum. Partim observabat, cutim regionis inguinalis propius articulationi femoris esse sitam, quam quidem illam aliis in locis; partim vero exspectabat (quamquam non cum

(125) Richerand, nosographie et therapeutique chirurgicales, Tom. 3. pag. 45. ed. 5. Paris 1821.

cum certitudine) setacei trunco nervi cruralis appositionem commodam fore ad sedandos dolores, qui in partibus observantur, in quibus hujus nervi rami se dispergunt. Suae opinionis eventum non fuisse infelicem, patet ex sequentibus quatuor hac in re ab eo institutis observationibus, in quibus setaceum fructuose fuit applicatum.

Puella 15 annos nata, symptomatibus ulcerationis cartilaginum articulationis femoris, mense Novembris anni 1808 laborabat. De coxae et genu, sed praecipue articulationis femoris dolore vehementi querebatur. Qua affectione tam acriter correpta erat, ut vix e loco suo se dimovere auderet et plerumque noctes insomniose transigaret.

Die 20 Nov. setaceum regioni inguinali apponebatur. Die 22 Nov. dolor coxae fere nullus, et ab hocce die omnia feliciter et cito ad meliora vergebant.

Puer 11 annos natus, die 28 Decembris 1808. in nosocomio susceptus, dolore coxae et genu vehementi excruciabatur, in quo observabatur, regionem coxae admodum fuisse dolentem, una cum glandularum inguinalium intumescencia.

Die 30 Decembris, setaceum regioni inguinali immittebatur, quo facto, paucis horis post, fere nulli amplius observabantur coxae et genu dolores

et tandem aegri conditio ita erat mutata , ut die 24 Maji sanatus dimitteretur.

Similem casum tradit de puella, 12 annos nata, quae ob vehementem dolorem articulationum coxae et genu, et praecipue propter illud prioris articulationis vitium, in eodem suscepta erat nosocomio. Conspicuis erat abcessus notabilis peripheriae partis superioris et exterioris femoris.

Die 4 Decembris, applicabatur regioni inguinali setaceum. Ejusdem diei tempore meridiano dolores imminuebantur, et tamdiu non redierunt, quamdiu in hocce nosocomio decumbebat. Quum vero aegra, paucis hebdomadibus post, a sua familia e nosocomio eximeretur, non diutius Viro cl. licuit hujus casus eventum observare.

Aliam denique commemorat historiam de viro juvene, qui in eodem nosocomio, die 15 Martii anni 1809, in curam susceptus erat, iisdem ulcerationis cartilaginum femoris articulationis laborans symptomatibus. In parte exteriori et superiori femoris inveniebatur abscessus magni voluminis. Noctes propter genu vehementem dolorem molestae erant.

Die 16 Martii, in eodem loco infigebatur setaceum, eo eventu, ut paucis horis post non solum dolores cessarent, sed dein etiam noctes placidas trans-

ige-

igeret. Brevi temporis spatio post, abscessus impune disruptus observabatur, in quo vero perpetuo locum habebat secretio, e qua suboriebatur febris hectica. Aequae ac in casu supra memorato, ei non praebita fuit occasio hujus eventum observandi (126).

§. 20.

Quanta in morbis supra memoratis setaceum administrandi sit utilitas, tanta illius quoque est ad alios morbos locales debellandos, idque in iis, in quibus inflammationem localem excitare necesse est.

Inter morbos, in quibus haec methodus indicatur, pertinent, inprimis ex nuperis observationibus, fracturae, si natura in eorum extremis redintegrandis deficit. In his enim applicatur scopo inflammationem plasticam atque calli effusionem producendi, quibus in casibus setaceum nimirum censetur tanquam remedium utilissimum, quod patet ex pluribus, hac de re institutis, observationibus, quo-

(126) B. C. Brodie, *over de ziekten der Gewrichten*, in linguam Belg. transl. a Dr. Hendr. Sim. Hyman s, pag. 150-153.

quorum mihi licitum est hic commemorare exempla, desumpta ex observationibus Doct. Physick, enarratis in Waltheri et Gräfi diario (127).

Vir 25 annorum fracturam tibiae passus fuerat, quae non erat sanata. Ossis enim fines huc et illuc moveri poterant, quamvis curatio chirurgica secundum artis regulas esset instituta. Primo parti applicabatur emplastrum stimulans e gummi ammoniaco et hydrargyro, dein apposita fascia multis capitibus instructa cum ferulis, quae ultra articulationem genu extendebantur, tum commendabatur assidua ambulatio, ut inde dolor et inflammatio oriretur; sed post multas hebdomades nulla inflammatio fuit observata. Postea vesicatoria et electricitas adhibita sunt, attamen sine ullo fructu. Tandem igitur setaceum fuit appositum sequenti modo: in latere externo tibiae parva incisio fuit instituta usque ad fines ossis fracti, et setaceum, acus triquetrae ope apertura facta, fuit introductum. Post paucos dies validus dolor et inflammatio secuta est, una cum puris larga secretione. Post quinque aut sex hebdomades jam major ossis firmitas aderat. Nunc sensim sensimque setacei fila desumebantur, vulnus cito fuit sanatum, et post
fas-

(127) Gräfe's und Walther's, *Journal der Chirurgie und Augenkr.*, B. VII. Heft. II. S. 336 et seqq.

fasciam et ferulas appositas, iterum motus cruris prudenter fuit institutus. Tribus mensibus post ossis consolidatio erat perfecta. Regimen, durante hac curatione, erat nutriens et medicamenta instaurantia.

Etiam ibi (128) invenitur historia hominis, cujus maxilla inferior in utroque latere erat fracta; in latere dextro fractura transversa, in sinistro obliqua erat. Suppuratione insequente patuit, in latere sinistro os e loco suo fuisse dimotum et exteriora versus prominere. Itaque splenia apponebantur, ut his os magis interiora versus retineretur.

Post tres menses in latere dextro fractura erat sanata, in sinistro vero nulla consolidatio obtinuerat; hinc masticatio ita fuit impedita, ut, quamvis appetitus quam maxime vigeret, nil nisi cibi tenues possent assumi et corpus inde viribus notabiliter esset imminutum. His sub rerum adjunctis a medico quodam setaceum fuit introductum ex cavitate oris inter fines ipsius fracturae. Hinc larga suppuratione prodeunte, parva ossis frustula fuerunt evacuata. Post octo hebdomades valida inflammatione locus fuit correptus, dein vero dolor et suppuratio sensim remiserunt, et, instituto examine,

ossa

(128) l. l. pag. 335-344.

ossa sibi invicem satis firmiter accreverant , ita ut nullus motus perciperetur et ab hoc vitio molesto et periculoso prorsus esset sanatus. Plura exempla , huc spectantia , in eodem diario referuntur.

§. 21.

Simili modo setaceum operatur in ulceribus fistulosis , scilicet ad producendam inflammationem plasticam , parietes fistulae conjungentem. Hunc tamen processum longe citius in partibus mollibus , quam in ossibus locum habere , vix est quod moneam. Inde effectus etiam evidentius saepe observantur. Applicatio setacei numquam facilius et aegrotis commodior est , quam in his affectionibus morborum.

Mense Decembri anni praecedentis mihi licitum fuit hujus generis casum memorabilem observare. Vidua honesta , 60 annorum , cachectica , inopinatum afficiebatur erysipelate antibrachii , ab olecrano ad digitos usque. Subito , verosimiliter propter cachexiam , inflammatio ad gangraenam erat disposita , quam proclivitatem fomentatio cum decocto adstringente camphorae juncto , intempestive data , augebat. Suadente Promotore , decoctum emolliens applicabatur ad imminuendam nimiam irritatio-

tionem, quae tanta erat, ut secessus locorum, gangraena superficiali correptorum, locum habere non potuisset. Intus resolventia praescribebantur. Eventus erat ex voto; sed destructio in systemate dermoïdeo ita insignem sese monstrabat, ut plura ulcera nascerentur cava, fistulosa. Ex his unum erat valde notabile. Incipiebat supra olecranon et juxta radium sese extendebat usque ad dorsum manus. Excavata erant ab omni parte integumenta communia, levi attractione a musculis subjacentibus attollenda. Immittebatur acus obtusa, ex argento confecta, huic scopo destinata, cujus ope setaceum sine magno incommodo trajiciebatur. Effectus valde salutaris erat. Die 5^o inflammatio incipiebat, quae, licet in individuo cachectico, intra paucos dies, ita increvit, ut setaceum dimitti posset et plastica adhaesio integumenta cum tela cellulari subjacente intime conjunxisset. Durante hac morbi periodo, confortantibus vis corporea instaurabatur.

Etiam in aliis ulceribus setaceo uti solent chirurgi, nec non ad aperiendos abscessus, si simul inflammationem producere volunt. „ Haec est (ut clar. monuit Callisen), apostema medendi ratio, quae pus lente educat, hujus liberum effluxum sustineat, leniorem denique irritationem inferat. In plurimis abscessibus majoribus, profundis, metastati-

staticis , criticis , glandulosis , lymphaticis , lente suppurantibus , duritie parum inflammata circumdatis , simplici majori incisioni omnino praeferenda videtur ” (129).

§. 22.

Setaceum vix evidentius , inflammationem producendo , morbum tollit , quam in hydrocele ; in quo vitio jam ab antiquioribus medicis illud fuisse usitatum , antea vidimus. Arabes imprimis hac medendi methodo in hydrocele utebantur , quam dein aliquomodo neglexerunt artis magistri , donec cel. Percival Pott hanc curandi viam denuo ingrederetur , ita ut nulla ex aliis huic morbo medendi rationibus illi placeret , praeter setaceum , quod praecipue iis in casibus utile putabat , in quibus curatio per incisionem vel ab aegrotante reformidaretur , vel minus apta a chirurgo judicaretur (130).

Pottii methodus setaceum in hydrocele applicandi a solita hujus remedii adhibitione , secedit.

Acu

(129) Systema chirurgiae hodiernum , T. I. p. 322.

(130) De setacei in hydrocele usu breviter modo dixi , quia de hoc argumento disseritur in amiciss. commilitonis Byrde Specimine inaug. de Hydrocele , variisque methodis ejus operationem instituendi.

Acu triquetra cum cannula utebatur, quacum tumorem perforabat. Acu retracta et humore eliminato, per cannulam specillum intromittebat, cujus ope fila gossypina, per foramen ad alterum extremum trajecta, immittebantur, quae, facta apertura, ubi ad alterum extremum specilli nodulus locum indicabat, trajiciebantur. Hac enchiresi, inflammatione saepe notabili oborta, occasio datur hydrocelen penitus sanandi et receptaculum occludendi, quod serum continet. Iisdem principiis fundata est nova methodus, eaque simplicior, nec minus efficax, quam nuperrime excogitavit Doct. van Onsenoort, qua per ligaturam, acu formae semicircularis injectam, inflammatio excitatur.

§. 23.

Tandem mentio facienda est de setacei usu ad destruendas quasdam partes, magis minusve in corpore humano degeneratas, qua methodo irritantur vehementer et diu loca morbosa, ita ut exinde suppuratio oriatur, vel talis systematis absorbentis activitas, ut, quod morbosum et desorganisatum est, destruatur.

Simplicius hujus rei exemplum habemus in tumoribus sic dictis serosis, in quibus post praegres-

sam

sam inflammationem serum effusum morbum constituit, liquido hoc in cystide, saepe a bursa, sive vaginali, sive vesiculari formata, evacuato. Satius certe est serum simpliciter, facta apertura, prudenter evacuare et cystidem dein comprimere, uti nuper in nosocomio observavi in tumore seroso, ad musculos gluteos sito, magnae extensionis, simplici tamen hac enchiresi sanato. Sed saepe eventus spem fefellit et confugiendum est ad excitandam majorem illam irritationem, de qua agimus. Ita etiam nunc in nosocomio recepta est puella 8 annorum, post neglectam luxationem femoris ex acetabulo, inflammatione chronica hujus articuli, nec non tumore cystico seroso ad superiorem et externam femoris partem laborans. Tumore aperto et pressione dein instituta, omnia subito in pristino erant statu, dum magna insuper in tumore oriebatur proclivitas ad suppurationem. Adhibito ergo et per tumorem trajecto setaceo, haec effusio satis facile sanabatur. Durante suppuratione, in longe meliorem mutabatur aegrotae conditio, imminutis etiam doloribus, eadem fere ratione ac antea ex observatis Doct. Brodie notavimus. At vero versus suppurationis finem peior evadebat aegrotae status, qui aliam eamque etiam efficaciorum methodum postularet, cujus expositio non est hujus loci.

Etiam in aliis tumoribus cysticis, praesertim in

lupiis setaceum commendatur, iis in casibus inprimis, in quibus extirpatio fieri nequit (131).

§. 24.

Magis composita est setacei applicatio, scopo destruendi in affectionibus sinuum frontaliū et antri Highmori polyposis, in quibus a variis viris arte praeclaris commendatur, inter quos Weinhold varios casus huc spectantes retulit.

Sic narrat historiam de septuagenaria, corporis habitus emaciati, quae polyposa affectione antri Highmori dextri corripiebatur, quo in casu ab eo setaceum per illud antrum infixum est. Tali quidem modo curabatur; verum alio morbo illi superveniente, diem supremum obiit, 4 mensibus postquam primum hac polypo correpta esset (132). Etiam in instituenda hac operatione descripsit et delineavit acum, a se ipso inventam, qua funiculus per hancce cavitatem mittebatur (133).

Hu-

(131) H. J. Brunninghausen, In *Saltzburger Zeitung*, Tom. I. p. 155. — *Dict. des sciences médicales*, Tom. 51. p. 205.

(132) C. A. Weinhold, *über die abnormen Metamorphosen der Hyghmorshöle*, p. 158 et seqq.

(133) *Ibid.* p. 146 et seqq.

Hujusmodi affectionis sinuum frontaliū historiam nobis exhibet etiam J. Hoffmann de viro quodam, hoc vitio laborante, scabie suppressa producto; in quo casu hicce polypus non tantum aderat in parte dextra et sinistra sinus frontalis, e quibus originem ducebat, sed etiam ad narium et faucium cavitatem penetrasse reperiēbatur. Extus tumor notabilis voluminis erat conspicuus, tam lamellae sinus frontalis externae expansione, quam parte polypi quadam, hanc perforante, productus. Praegressa nimirum integumentorum communium cruciata incisione, trepanum illi parti osseae, ubi uterque subjacet sinus, apponebatur. Ossiculo instrumenti ope a ceteris|dissoluto, eoque una cum parte polypi illud penetrantis sublato, atque polypo, in sinibus adhuc praesente, per muriatis stibii liquorem madefacto, caries ossis ethmoidalis aliarumque partium exfoliatio suboriebatur. Quae omnia occasionem praebebant duo infigendi setacea, ad utrumque latus unguento nitratis hydrargyri inuncta, quem in finem in hosce sinus ita mittebantur, ut ex narium cavitatibus egrederentur. Simul autem eo pacto, ut fortior adesset derivandi opportunitas, tertium quoque setaceum nuchae apponebatur. Horum vero setaceorum adhibitio, una cum injectionibus ex solutione nitratis argenti in aqua chamaemillae, postquam intus medicamenta con-

for-

fortantia adstringentia fuerant administrata, felicem exhibuit eventum (134).

§. 25.

Denique memoratu dignus est setacei usus in producenda strumae resolutione. Hoc in morbo illud tanquam remedium magni momenti considerari licet; namque plurimi sunt viri, in medicina celeberrimi, qui in hocce vitio illius laudaverunt administrationem: Dupuytren puto, Percy, Klein, Foderé, Quadri, aliosque. Ex horum sententia quoque patet, in hacce operandi methodo vulnerationem vasorum sanguiferorum nervorumque non esse metuendam. In casu autem, quo hoc vitium majus occupaverit volumen, vel utriusque lobuli glandulae locum habuerit intumescencia, duo setacea per tumorem transfigenda commendant.

Sic quoque expert. Hutchinson. commemoravit historiam de homine quodam, qui durantibus 13 annis hoc glandulae malo notabilis voluminis laboraverat, setacei vero applicatione ab eo feliciter fuit liberatus. Primo nimirum

(134) Rüst's *Magazin für die gesammte Heilkunde*, B. XX. H. II. S. 317.

rum illud transfixit per glandulae lobum sinistrum, ex quo inflammatio suppurativa suboriebatur. Eo vero, tribus mensibus post, extracto, alterum in lobo dextro infigebatur, quod non diutius quam duobus mensibus fuit gestatum. Quum enim hicce tumor sensim sensimque imminueretur, nullo setaceo amplius utebatur, et, anni fere spatio post primam operationem, totus hicce tumor tali modo suppuratione fuit solutus. Praeter hanc ab eo ipso observatam historiam, mentionem insuper facit de similibus casibus, ab aliis observatis et eodem modo curatis (135).

Etiam *Quadri*, in hoc vitio curando, setacei opem egregie administrasse, patet ex sequente casu.


Femina, 36 annos nata, infantem triennem lactans, struma tanti voluminis laborabat, ut ejus peripheria simul cum illa colli magnitudinem occuparent; 16 pollicum et latitudo maxima glandulae tumidae censeretur 5 poll. In hoc autem casu setaceum per tumorem, a parte superiore inferiora versus, circiter 4 lineis sub ejus superficie transfigebatur, eo eventu, ut intra 48 horarum spatium puris secretio jam locum haberet. Quum die 18 Novembris materia purulenta ex abscessu expri-

(135) *C. F. Gräfe und Walther*, in diar. laudato B. VI. Heft. II. p. 367 a. 1824.

primeretur, setaceum excidebat, quo denuo immisso, stimulo suo, partis colli dextrae suboriebatur abscessus, quo aperto die 23, patebat, hancce suppurationem fuisse causam resolutionis tumoris. Omnia autem ita procedebant, ut die 26 Aprilis ab hocce vitio liberata esset. Hoc vero tempore mensio iterum fuit instituta, qua constitit, magnitudinem, antea memoratam, ita fuisse imminutam, ut colli ambitus non major esset, quam 13 poll. et 6 linearum.

Praeter hanc enarratam historiam, clar. Quadri et alios commemorat casus, in quibus plura setacea, repetitis vicibus, felici eventu adhibuit (136). Sed exempla exposita satis superque sufficiunt, ut inde magna efficacia simplicis remedii in gravissimo morbo, a multis insanabili habito, pulchre appareat.

(136) *Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche practischer Aerzte.* B. V. H. 1. p. 256 et seqq. Item *Gräfe u. v. Walther*, l. l. T. 2. p. 382.



T H E S E S.

I.

Concinne Cabanis: „ Si la santé est le premier des biens , la médecine doit être le premier des arts. ”

II.

Égrogie Franck: „ Odi profanum vulgus et arceo , quod omnem veteribus in re salutari perspicaciam vel abnegat , suamque huic substituit , vel omnia his solis attribuens , quae nova sunt prorsus abhorret. ”

III.

III.

Vera sunt quae Stollius habet: „ qui regnantem temporis constitutionem non assidue respexerit, neque inde suos sibi canones efformaverit, nae is alto se mari committit, ventorum ludibrium et fluctuum praeda.”

IV.

Pulsus parvus, depressus morbi acutissimi saepe symptoma diagnosticum sistit.

V.

Non unice e pulsu effici potest venae sectionis necessitas.

VI.

In phlegmasia indicatio venae sectionis iterandae e symptomatibus magis, quam e crusta inflammatoria petenda est.

VII.

Non semper febre hectica contraindicatur amputatio, qua instituta e contrario saepe sanatur illa.

VIII.

VIII.

Quae cel. Scarpa statuit de callo, ossa fracta conjungente, solummodo ab ossium vi expansiva producta, experientia non confirmantur.

IX.

Uti reliqua ossa, sic etiam rotula fracta callo formato denuo consolidescere potest.

X.

Triplex illa vulnerum redintegratio per subitam reunionem, adhaesionem et granulationem, ab Huntero, Meckelio, aliisque proposita, veritati non congruere videtur.



